

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3750

Auteur(s) : Mathieu, Saint-Denis, Saint-Denis (abbé)

Bénéficiaire(s) : Raoul de la Garneria [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1271, mars

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

De l'autorité et à la place du roi, Mathieu, abbé de Saint-Denis, et Simon seigneur de Nesle, lieutenants du roi, concède en fief à Raoul de la Garneria et à ses héritiers pour une rente annuelle de 20 livres tournois toute la terre et tous les droits que le roi avait à Gourfaleur.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 802, p. 185-186.

Texte établi d'après a

Copia. Universis presentes litteras inspecturis, Matheus, miseratione divina, ecclesie Beati Dyonisii in Francia abbas humilis, et Symon dominus Nigelle, locum tenentes domini regis Francorum. Notum facimus quod nos, ex auctoritate et vice dicti domini regis nobis commissa, ac nomine ipsius et pro ipso, tradidimus et concessimus ad firmam perpetuam Radulpho de la Garneria et ejus heredibus, pro viginti libris turonensium annui redditus, eidem domino regi a prefato Radulpho et ejus heredibus annuatim reddendis, scilicet medietate ad scacarium Pasche, et alia medietate ad scacarium Sancti Michaelis, totam terram quam idem dominus rex habebat in parrochia et villa de Gorfalor et omne jus quod ibi habebat tam in terra, hominibus, feodis, quam in aliis quibuscumque, exceptis et retentis domino regi placito spate et omnibus aliis que ad placitum spate pertinent, patronagio ecclesie dicti loci et garda similiter, si ibi accidat, videlicet managium continens undecim acras terre et dimidiam et quatuor perticas, contiguam in uno latere terre Guillelmi Martini clerici, et abutat in alio capite ad terram Ricardi de Haiis, et alio latere ad terram Petri de Gardag, dimidiam acram et dimidiam virgatam contiguam in uno latere terre filii Marie, et alio latere terre Ricardi de Aisnes, abutantem in uno capite ad terram Guerini de Vivario, et alio capite ad terram filii Marie ; item medietatem cujusdam molendini siti in parrochia supradicta ; item quatuor acras terre site in ripparia Virie et triginta duas perticas, cujus terre unum caput abutat ad terram Thome Aurifabri, et aliud ad terram Luce de Hamello juncte ad terram Johannis de Ponte ; item triginta et sex perticas terre in campo Vergatur, site inter terram Guillelmi Martini et terram Guillelmi Oliveri. Feoda vero et homines que sunt de dicta firma debent annuatim ea que secuntur : scilicet feodus de Ponte, servicium equi, quatuor capones cum quatuor denariis ad Natale Domini, et traham ante Natale et post, et duos messoros in Augusto, quinque solidos ad Purificationem Beate Marie, ad Pascha XLs. ova cum duobus denariis ; item feodus Emme de Sola, servicium apportandi panem, vinum et carnes, et duos capones, et unum denarium ad Natale, et quinque denarios ad Purificationem ; item feodus de Maris, servicium equi, quinque capones ad Natale, et quinque denarios ; item de escaancia Rogeri de Maris, unum buissellum

frumenti ad festum Sancti Michaelis, duas gallinas et duos denarios ad Natale, duodecim solidos ad Purificationem, ad Pascha quinquaginta ova cum duobus denariis, servicium trium traharum ante Natale et post, in Augusto tres messores ; item feodus de Gardino, servicium equi, in auxilio Purificationis duos solidos, servicium unius trahe ante Natale et post, unum messorem in Augusto, et duos boissellos avene pro quadam pecia terre quam Robertus de Maris quondam tenebat ; item feodus Guarini de Vivario de la Priorie, servicium equi, tres capones, unam gallinam, tres denarios ad Natale, [in] auxilio Purificationis triginta quatuor denarios, servicium unius trahe ante Natale et post, unum messorem in Augusto, triginta ova et duos denarios ad Pascha ; item feodus Thome Radulphi, servicium equi, tres capones ad Natale et unam gallinam et tres denarios, ad Purificationem quatuor solidos, traham ante Natale et post, unum messorem in Augusto, ad Pascha quadraginta ova et duos denarios ; item feodus Roberti Dorquet servicium equi, tres capones, unam gallinam, tres denarios ad Natale, servicium unius trahe ante Natale et post, unum messorem in Augusto, tres solidos ad Purificationem, triginta ova et duos denarios ad Pascha ; item Robertus dictus Cervus, sex buissellos frumenti ad festum Sancti Michaelis, duos capones, duos denarios ad Natale, ad Pascha viginti ova et duos denarios ; item Nicholas de Haiis, unam minam avene ad festum Sancti Michaelis, duos capones ad Natale et unum denarium, ad Purificationem quinque denarios, et servicium apportandi panem, vinum et carnes ; item heredes Nicholai de Sancto Sansone, ad Purificationem duodecim denarios et ad Natale unum caponem ; item Ricardus de Aines, duos buissellos frumenti ad festum Sancti Michaelis, duos capones et duos denarios ad Natale, aratrum ante Natale et post ; salvo jure domini regis in aliis et jure in omnibus alieno, ita quod, si premissa in aliquo teneantur alicui, dictus Radulphus et ejus heredes debent facere seu reddere illud quod pro hiis debet fieri sive reddi. De predicta autem firma, ut dictum est, reddenda, dictus Radulphus posuit in complegium (sic) centum solidatas terre super totum feodum suum de Quanage, quod tenet a domino rege, cum omnibus serviciis, hommagiis et omnibus juribus aliis, que dictus Radulphus ibi habet, eidem domino regi perpetuo remansuras, si ipsum Radulphum aut ejus heredes a contractu predicto contigerit resilire. In cujus rei testimonium, sigillum regium litteris presentibus duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini M° CC° septuagesimo, mense marcio.